# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
DE
# MORBIS
## E GRAVIDITATE PENDENTIBUS;

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS BYAM DENNISON,
*ANGLUS:*
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

---

*"Dum relego, scripsi se pudet; quia plurima cerno,*
*"Me quoque, qui feci, judice digna lini."*
OVID.

---

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.
1806.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO,

RICARDO DENNISON, M. D.

SOCIET. ANTIQ. SOC.

COLL. REG. MED. LOND. LICENT.

NOSOCOMII PUERPERIIS DICATI

IN URBE LONDINO,

MEDICO ORDINARIO;

NECNON,

INSTITUTIONIS BENIGNÆ

AD CURAM

PARTURIENTIBUS PAUPERIBUS NUPTIS,

DOMI FERENDUM CONSECRATÆ,

MEDICO SECUNDO;

ET

ARTIS OBSTETRICÆ IN NOSOCOMIO LONDINENSI

PRÆLECTORI:

HOC OPUSCULUM QUANTULUMCUNQUE,

SUMMA OBSERVANTIA,

OMNIQUE CULTU QUO DECET

ERGA PARENTEM CARISSIMUM,

CONSECRARI VULT

RICARDUS BYAM DENNISON,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

RICARDO SCOTT BYAM, M. D.

APUD ANTIGUENSES,

SIBI CUM SUMMA LAUDE,

SUMMA CUM CIVIUM SALUTE,

ARTEM MEDICAM, FELICITER EXERCENTI;

VIRO, VITÆ INTEGRO, PURO,

INGENIO, MORUM ELEGANTIA, SUAVITATE,

ET ANIMO FLECTI NESCITURO,

INTER ORNATOS, ORNATISSIMO;

NECNON,

NECNON,

GULIELMO BLIZARD,

EQUITI AURATO,

R. S. & A. S. SOC.

NOSOCOMII LONDINENSIS,

CHIRURGO PRIMARIO:

VIRO FACILI, COMI, JUCUNDO,

VIRTUTIS, VERITATIS, ET UTILITATIS PUBLICÆ,

AMICO STRENUO;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

OBSERVANTIÆ SUÆ,

ET STUDIORUM, EHEU PARVUM

TESTIMONIUM,

DICAT DEDICATQUE

RICARDUS BYAM DENNISON.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# MORBIS

## E GRAVIDITATE PENDENTIBUS.

---

## PROŒMIUM.

INTER leges hujus Academiæ præclarè laudatæ præscriptum est, ut omnes candidati "pro gradu doctoris, summisque in medicinâ honoribus et privilegiis ritè et legitimè consequendis," exemplum, si non doctrinæ, saltem diligentiæ et eorum peritiæ in rebus medicis, judicio eruditorum subjiciant, et quoddam specimen inaugurale proferant. Huic legi salutari obsequens, *Uterum gravidum* pro argumento meæ dissertationis selegi; in qua,

 mutationes

mutationes quas propter impregnationem subit, enumerabo, et tunc quàm plurimùm illæ valent in functiones animales, et quomodo cum iis connectuntur, monstrare conabor.

Hujus argumenti momentum narrare, vix necesse apparet; nam in eo implicatur, valetudo, felicitas, forsan et vita ipsa, partis creationis tam amatu dignæ. Ut fœmina magnam partem felicitatis humani generis formet, sententia non ludicra est, quoniam auctoritate suâ, illa, mentem humanam regit et temperat. " Emollit mores nec sinit esse feros." Hanc sententiam proferrens, quicquid ad uterum gravidum refert, aut ejus potentiam super, aut connexionem cum functionibus animalibus, id sibi attentionem jure arrogat.

Physiologiæ nulla res est magis utilis, aut quod contemplatione dignius sit, quàm id quod ad conceptionem, graviditatem et partum pertinet, et nulla est quæ naturæ nostræ perceptiones magis expandat et exaltet. Miræ sunt res, quæ à tempore graviditatis usque ad partûs finem cum utero gravido connexæ sunt, et aspiciendæ ut catenæ ex seriebus

compositæ,

compositæ, quæ quasi causa et effectus se invicem sequuntur. Impregnationis functio, maximè obscura est, et forsitan in tenebris non minùs involvitur, quàm ulla alia res, quæ ad regnum animale pertinet, et in statu et uteri functione mutationem sanè mirabilem producit; sed ullus conatus prioris explicandi, hujus dissertationis ultra limites nos transferat, et ei alienum sit. Idcirco, mutationes, quas subit, memet cohibebo in cogitando, et cùm id fecero, ejus connexionem et potentiam in systema, monstrare tentabo.

---

## MUTATIONES UTERI PROPTER FOECUNDATIONEM.

UTERUS ob conceptionem, novas dotes assumere videtur; per tempus gestandi vim distentionis et ascensûs acquirit, etiam in multis aliis rebus, magnas mutationes subit; nam mutata sunt *magnitudo*, *situs*, et *forma*.

Uteri

Uteri non impregnati in variis fœminis diversa et varia est *magnitudo*, parvam juglandem ejus cavitas plerumque vix recipiat; sed tam magnoperè augetur impregnatione, ut unum, duos, vel etiam plures fœtus, cum eorum placentis distinctis, aquis, membranisque, recipere possit. Quidam de physiologia uteri tractantes, hoc incrementum ad expansionem ovi, ascribere volunt, sed futilè; namque hujus visceris distentio, ipso facto ex aliis causis oritur, et evolutio ovi non rationem habet cum incremento uteri; et hoc magis stabilitur, ubi sunt fœtationes extra uterum, cùm ovum in tubis Fallopianis vel ovariis, aut in cavitate abdominis, inveniatur.

Ob hanc dotem distentionis acquisitam, mutatio *sitûs* pendet. Uterus virginis in pelvis cavitate situs est, inter vesicam urinariam et intestinum rectum, ejus lateribus depressis cum osse pubis planis. Post tempus certum gestationis, e pelve emergescit, et abdominis magnam partem implet. In gradibus regularibus sensim ascendit uterus. Circiter mensem tertium, fundus ejus quasi globus rotundus manifestè

manifestè tangi potest, supra os pubis. Inter quartum et quintum mensem, ad regionem umbilicalem usque ascendit, et abdominis parietibus magnam tensionem impertit. Mense septimo peracto, inter umbilicum et punctum sterni, fundus detegitur; ab hoc tempore, cartilaginem ensiformem gradatim appropinquat; et versus octavi mensis finem, eam pertingit. Nunc ejus maximum altitudinis ferè acquisivit, nam ante mensem nonum, cum ejus contentis subsidet uterus, et aliquam mutationem sustinere videtur.

Hæ mutationes præsertim fundum ejus afficiunt; cervix adhuc nullam mutationem evidentem sustinens, sed citò post hoc, affici incipit, et dilatatio quam subit, mutationem *formæ* satis exponit. In statu non impregnato, pyrum compressum refert, triangularis est, et ejus cavitas, formæ externæ respondit. Perfecto gestationis certo tempore, afficitur cervix, distensa et brevior fit. Propter hanc dilatationem regularem, perquam difficile fit, imò, impossibile, initium fundi et cervicis terminationem notari, omninò namque oblitera-

ta

ta est linea definitionis inter unum et alterum: nunc formam triangularem uterus deponit, et formam ellipsis assumit. Res quas notavi ex conceptione oriuntes, non solùm ad uterum pertinent, sed etiam iisdem afficiuntur ligamenta ejus. Ligamenta lata, quæ nil ampliùs sunt quàm continuatio lateralis tegumentorum uteri, vix discerni possunt, imò penè abolita sunt; ab hoc, nonne nobis dicere liceat, ut ad distensionem conferant? admodum verisimile videtur, quia paulò post partum, situm eorum solitum recuperant. Non minùs afficiuntur igamenta rotunda; similiter ac systema vasculosum uteri, majorem quantitatem sanguinis accipiunt, perquam densa fiunt et contrahuntur, quod rationem reddit sensationis molestæ quæ ferè initium partûs comitatur, et etiam omnem conditionem uteri morbidam.

Uteri gravidi et non gravidi magna est differentia sytematis vascularis; arteriæ, et præsertim venæ, majores fiunt in stadio priore. "Pars magna crassitiei uteri ad venas pertinet;" uteri impregnati tam dilatantur venæ, ut MORGAGNI et alii auctores eas nuncupaverunt

cupaverunt *sinus uteri*. Hæc conditio vasorum, phænomenon reddit perspicuum, quod aliter ferè inexplicabile esset; nempè, ut uterus etiamsi talem incrementum sustineat, ejus crassitiem usitatam retineat.

Mauriceau et alii quidam auctores alteram sententiam asseruerunt, dicentes, quò plus distensus fuit, eò magis imminutus et tenuior fit. Hæc sententia, primâ facie, admodum speciosa videtur, nam ferè omnia nobis cognita, quò plùs distensa sunt, eò magis tenuiora fiunt; sed huic saltem uterus humanus exceptio sit, nam per totum gestationis tempus, crassitudinem eandem servat. Sed ejus parietes etiamsi æquè densi, minùs firmi sint, quàm in statu non impregnato. Aliquando tam molles sint, ut liquoris amnii fluctuatio facilè distingui possit, veluti aqua in exemplo ascitæ. Hinc major quantitas sanguinis, mutationem producit in uteri texturâ ipsâ. Liquor interstitialis, vel mucus qui a lacunis diversis per graviditatem secernitur, auctus, etiam huic conditioni laxæ fibrarum uterinarum conferri possint.

Post

Post hoc prooemium, effectus quos habet graviditas in functiones animales, et morbos ab ea pendentes, enumerare progredior.

---

Postquam gravida est fœmina, plurimis afficitur malis, ex sola graviditate oriundis *.

Plures medici symptomata in gravidis occurrentia morbida dicere nolunt, quia sine incommodo eam conditionem aliquando præterire fœminas dicant, sed quàm sæpè gravidis opem ferre postulantur illi, et opem ferre quàm sæpè possunt. Plurimas esse fœminas, quæ stadia graviditatis diversa percurrunt, nullos habentes morbos, non dubitandum est; sed exempla hujusmodi, inter plebem et rusticas sæpiùs invenienda sunt.

" Instanti cum plena tument quoque viscera partu,
Æquat humum rastris, segetem nascentibus herbis
Liberat, in longos religat sarmenta maniplos,
Et duri patiens, ita ruris amansque laborum est,

Inter

---

* Boerhaav. de Morb. Gravid. § 1293.

Inter ut agrestes operas enixa, marito
Progeniem referat, quam non peperisse sed agris
Invenisse putes †."

Ex quo nobis suspicare liceat, symptomata morbida quæ cum graviditate conjuncta sunt, magnâ parte e luxu pendere, et hæc opinio ex analogia magis stabilitur; nam animalia, ut vaccæ, rure ad oppida magna mutata, dum gravidæ sint, languescere et cum majore difficultate et dolore parturire observantur, quàm quæ, in locis eorum naturæ magis congruentibus, fœtus suos edant.

In meo proposito est, morbos diversos quibus fœminæ prægnantes obnoxiæ sunt, exponere, sed id differendum censeo, donec quædam graviditatis symptomata monstraverim, et morbos, cum quibus ea confundi possint.

Graviditatis symptomata magnoperè pendent ex illo miro consensu, qui inter uterum et partes corporis diversas existit. Gravidæ nullam mutationem insignem subeunt, donec

B duo

† VANIER. Præd. Rust. lib. 2. pag. 47.

duos vel tres menses post conceptum prætériêrint, nisi paucas ægritudines, quæ pro certo conceptionis signo non haberi solent, nam e causis graviditate maximè diversis oriri possunt. Cùm menses tempore solito non appareant, fœminæ illicŏ se concepisse credunt. Sed mensium suppressio ex multis causis oritur, ut a frigore, timore, et aliis, quibus exponuntur, et ab hanc rationem non ei fidendum est; sed hæc suppressio nonnunquam tensione mammarum stipatur, quarum areolæ colorem subfuscum inducunt, et alia symptomata molesta eodem tempore accidunt; tunc ut signum graviditatis, suppressionem cum majore fiducia accipiamus. In plerisque fœminis, gestus et etiam vultus, mutationes insignes subeunt; illæ a sensu irritabili peculiari, asperiores fiunt ingenio, facilè irascuntur; et talia faciunt, quorum alio tempore illas pudeat. Quoad vultus, majores videntur oculi, prominentior est nasus, oris latitudo major est; breviter, peculiaris est vultus, difficilis depinctu, sed mulieribus benè perspectus. Sub quintum mensem fœmina

mina in abdomine motum percipit, qui, Anglicè, *quickening* nuncupatur. Hic certissimum graviditatis signum æstimatur, sed falsè, nam a flatu in intestinis retento oriri possit. Causæ variæ redditæ sunt pro motu; quidam, ad fœtum crescentem et novas vires adipiscentem imputant, alii ad amplificationem uteri propter ovi incrementum, ad talem molem auctum, ut pelvis supra marginem sustineatur; hæc est opinio Doctoris DENMAN, et hanc veram causam putat esse omnium dolorum, qui plerumque fœminam vexant, antequam fœtum vivum in utero sentiat, quia posteà gradatim deficiunt, aut omninò desistunt. Post quartum mensem, utero è pelvis cavitate surgente, umbilicus detruditur. Huic symptomati non fidendum est, quia ulla alia res quæ abdomen auget, umbilicum protrudat.

Cùm dixerim omnia symptomata, quæ enumeravi, pro graviditatis certis signis non habenda esse; quæ tunc sunt symptomata graviditatis? non alienum est rogare. Si omnia symptomata quorum mentionem feci, juncta

sint,

sint, et præsertim perstante mensium suppressione, per duo vel tria eorum recursûs tempora sequentia, tunc mulierem prægnantem esse, nobis erit judicandum.

---

## DIAGNOSIS.

Cùm medicus opinionem formet, an fœmina gravida sit, necne, maximè ab illo cavendum est, quia et virginis et parentum famæ non rarò aguntur. Morbi cum quibus graviditas confundi possit, sunt tumor abdominis, ab ascite, vel ab mole uteri auctâ, per sanguinem menstrualem retentum, in iis quibus hymen non est perforatus. Ex examinatione ventris cauta, ascites a graviditate distinguitur; nam in hac durus est tumor, et ex parte anteriore magis acuminatus; in illo autem venter est mollis, et tumoris superficies æqualis est, et manu abdomini applicato,

plicato, humoris fluctuatio clarè se manifestat. Graviditas ab mole ventris auctâ, mensibus retentis discernitur, si dicat fœmina se cum homine nunquam rem habuisse, et nunquam fluxum menstrualem se passam esse. Medicus his verbis nolens fidere, scrutatione per vaginam sibi fidem conciliet. Alii morbi sunt cum quibus confundi periclitatur graviditas; scilicet, ovarii hydrops et scirrhus uteri. Si non admodum premant, operæ pretium est, aliquot tempus cunctari, ut cùm a graviditate pendeant, eorum causæ magis evidentes fiant. His ritè observatis, morborum qui graviditati connexi sunt, considerationem suscipiam.

---

## MORBI E GRAVIDITATE PENDENTES.

Symptomata diversa quæ per tempus graviditatis occurrunt, conditionem maximè mutatam clarè demonstrant, quamvis morbida non vocari illa possint, et si auxilium præstare

stare et dolores pregnantis lenire, possimus, ad nos pertinet maximum auxilium afferre, præsertim si symptomata non mitegemus, cum ea conditio quæ nunc tantùm mutata est, morbida fiat. Mihi necessarium videtur, hæc symptomata in duas partes discernere, nempè in ea quæ stadium incipiens et provectius comitantur. Morbi stadii incipientis, originem ducunt, ab consensu insigni qui uterum inter et ventriculum existit; et in hac ordine plerumque apparent:—

Anorexia, Nausea et Vomitus;
Pica;
Cardialgia, et Diarrhœa;
Mammarum Dolor et Intumescentia;
Deliquium, et
Hysteria.

---

Uterus fœcundatus novam actionem assumere coactus est, per quam irritatus, ventriculum participem suæ irritationis facit; hinc

ANOREXIA

*ANOREXIA, NAUSEA ET VOMITUS.*

Post mensium suppressionem, primò fœmina de anorexia, nausea et vomitu conqueritur, quæ horis matutinis maximè vexant. Post quartum mensem plerumque mitescunt, aut omninò discedunt; sed aliquando per totum graviditatis tempus durant.

*Causæ.*—Ex altera harum causarum oriuntur. In stadio incipiente, ut suprà diximus, ab consensu insigni qui uterum inter et ventriculum existit. In ultimo ab acore et sordibus in intestinis collectis. Plethora interdum pro causa habenda est, sed rariùs. Cur maximè manè crucient, a positura corporis mutata a reclinata ad erectam, nonne possint oriri? nam si mulier è lecto gradatim surrexerit, non tam urgentes inveniuntur, et paulò pòst plerumque cessant.

Si nausea sine vomitu præsens sit, vomitum per emetica lenientia meliùs est ciere, nam nauseare, nullâ re a stomacho jactatâ, ægram magis molestat. In stadio primo graviditatis,

tis, vomitus nil nocet, contrà, uterum stimulando, utilis erit; sed provectiore, compescendus est, ne abortum inducat. Ad hoc consilium, opium formâ pulveris aut tincturæ; magnesia cum aqua menthæ piperitidis, vel haustus effervescentes, valdè prosunt. Si plethora causa sit, venæsectio et haustus salini, aliaque refrigerantia adhibenda sunt; imò propter systematis conditionem febrilem, quæ graviditatem semper ferè comitatur, gravidæ omnia quæ eas refrigerint, efflagitant.

## *PICA.*

Appetitus, cum morbis jam dictis, frequenter est depravatus; nam esculenta, quæ anteà admodum grata fuêre, nunc illæ cum fastidio rejiciunt, et ea quæ nauseare solebant, aviditate exposcunt. Huic conditioni appetitûs, Anglicè, *longing* nomen datur. Si his votis concedere possimus sine ullo malo eventu, nobis indulgere suadendum est, humanitatis causâ, non ob timorem infantem maculandi, si negata sint. Altera opinio observanda venit, nempè, si spectaculum ingratum, gravidam

gravidam offendat, infantem maculo huic simili, designari opinantur. Medici est, absurditatem talis opinionis exponere; nam plures fœminæ per totum tempus graviditatis, ob hanc opinionem infelicissimæ sunt.

### *CARDIALGIA ET DIARRHOEA.*

Fœminâ pregnante, *cardialgia* valdè molesta est. *Causæ* sunt consensus inter uterum et ventriculum, aut stomachus malè se habens, cibo parùm concocto.

Sublevandum est hoc symptoma, per eadem remedia quæ in morbis antecedentibus prosunt, ut, magnesia sola, aut cum pulvere rhei; sales neutrales, et cætera. Perstante affectione, emetico miti opus erit.

*Diarrhœa* frequenter multùm urget.

*Causæ.*—A ventriculo oriri potest, vel a sordibus in intestinis collectis: aut ab irritatione, ob auctam uteri molem, rectum prementem.

Si à primâ causâ diarrhœa oriatur, ad eam levandam, adhibendum est medicamen vomitorium, et posteà parvæ doses magnesiæ solæ,

aut cum pulvere rhei. Si a secunda causa, carthartico ad rem nocentem evacuandam, tunc tinctura opii sublevetur. Si a tertia causa, tinctura opii irritationem levabit. Si irritatio molestissima sit, enemata ex amylo tenui, cum guttis sexaginta tiucturæ opii, multum auxilii præstabunt.

### *MAMMARUM DOLOR ET INTUMESCENTIA.*

Mammæ inter quartum et quintum mensem tensæ fiunt, dolentque.

*Causæ.*—Hæc symptomata originem ducunt, partim a consensu qui inter mammas et uterum existit; et mihi apparet ut pro causa habeant, suppressionem sanguinis menstrualis, qui ad alterum propositum destinatus, hoc tempore retinetur.

Mammis parùm dolentibus, catharticum adhibitum ægræ, et fomenta iisdem applicata, plerumque votis respondebunt; sed si inflammentur, opus erit venæsectione et hirudinibus partibus applicatis. Cute tensâ, mammæ cum oleo oblinantur, et maximè cavendum

vendum est, ne vestimenta nimis arcta, mammas constringant.

### *DELIQUIUM ET HYSTERIA.*

Mulier in animo semper versans partum appropinquantem, et dolores qui eam conditionem comitantur, nunc tristis et depressa fit; hinc deliquium et hysteria sævire incipiunt.

Ad causas *deliquii* pertinent, fœtûs perceptio, qui omni systemati stimulum peculiarem impertit:—Vestimenta arcta, corpus nimis constringentia:—Stomachus et intestina malè se habentia.

Ad hoc symptoma summovendum, ægræ constitutio observari debet; si firmis viribus prædita sit, et si adsit plethora, sanguis mittendus; sed debiles et delicatulæ deliquiis magis opportunæ sunt; idcirco tinctura opii usurpanda est. Si opus sit cardiacis, mitiora seligenda sunt. Cùm a vestimentis nimis arctis, et a stomacho accidunt, manifesta remedia sunt, vestibus laxis uti, et ventriculi conditionem respicere.

Causæ *hysteriæ*, sunt ea pathemata animi violenta, quæ ferè semper cum graviditate consociantur: ea quæ animum valdè corripiunt, ut subita ira, gaudium, aut tristitia, affectionum hystericarum in causis esse possunt.

Maxima cura adhibenda est ut nullus nuntius afferatur, qui animum turbet; contrà, omnia utenda sunt quæ animum ægræ placidum concilient, veluti blandi sermones, rerum varietas, societas hilaris, aërque salubris.

Nunc ad finem perduxi, omnes morbos qui stadio graviditatis primo communes sunt, quorum maxima pars mihi videtur, e ventriculo malè se habente oriri, consensu eum inter et uterum existente; tandem progredior, quantùm in me sit, ad omnes morbos in lucem proferendos qui per stadium provectius appareant, quos omnes curare æquè ac eos, qui in primo stadio occurrunt, non semper penes nos sit, donec fœtus, causa omnium, extrahatur.

---

## MORBI STADII PROVECTIORIS.

MORBI, qui nunc pregnantes invadunt, magnoperè a mole uteri ampliata, pendent, visceribus et partibus vicinis compressis. Non solùm majus doloris afferunt, verùm etiam majus periculi; nam stadii incipientis morbi, vix aliquid præter abortum minitantur, dum his provectioris, matris æquè ac infantis vita periclitatur. In ordine sequente occurrunt:

Dysuria, ischuria, et alvus adstricta:
Uteri retroversio:
Hæmorrhoides:
Dolores femorum et crurum:
Vomitus, dyspnœa et tussis.
Hæmorrhagia uterina:
Convulsiones.

DYSURIA,

*DYSURIA, ISCHURIA, ET ALVUS ASTRICTA.*

Harum duæ priores ab uteri magnitudine adaucta, cervicem vesicæ premente, ortum ducunt.

Ferè semper sponte suâ desistunt, quamprimum uterus è pelve emergit, sed donec emerserit, ad opem catheteris confugiendum est. Mira est, in multis exemplis, vis distentionis vesicæ et secretio urinæ celer. Doctor Young, qui multos annos professor celeberrimus in arte obstetrica fuit, in hâc Academiâ, in ejus prælectionibus, exemplum suppressionis urinæ narrare solebat, ubi non minùs quàm octodecim libras urinæ, cathetere eduxit; et pater meus, qui longo tempore suus alumnus erat, et plurima documenta hujus amicitiæ et patrocinii usque expertus, eandem ægrotam levavit, educendo intra viginti post quatuor horas, duodecim et ultra libras.

Submovenda est *dysuria*, diureticis; quorum optima, est spiritus ætheris nitrosi.

In *ischuria*, sedulò evitanda sunt diuretica, nam illis materia igni præbebitur.

*Alvus*

*Alvus astricta* causam agnoscit, uterum caput coli et rectum constringentem.

Laxanda sunt intestina per cathartica, lenientia ut electuarium sennæ, oleum ricini, et similia; fructus et diæta vegetabilis valdè prosunt.

### *RETROVERSIO UTERI.*

Hic morbus non solùm multum incommodi, sed etiam aliquod periculi fert.

Causa oriri videtur a vesica præter modum distenta ob urinæ suppressionem, quæ fundum uteri deorsum et retrorsum versus os coccygis propellit, et ipsius os internum eadem ratione situm suum, versus os pubis, elevatum habet. Hæc est Doctoris Denman opinio, quamvis non ita censeant omnes auctores, inter quos est Professor celeberrimus artis obstetriciæ, in hoc Collegio, Doctor Hamilton. Hæc plerumque inter alias causas benè notas invenienda est, scilicet gravidæ benè educatæ pudor, in societatem euntis, ubi mandatis naturæ obsequi haud vult. Prægnantes ergo a societate et occupationibus abstinere debent, ubi urinam reddendi non occasio detur. Cùm urina

suppressa

suppressa sit, et alvus adstricta, in fœmina prægnante, tunc suspicare nobis liceat, uterum esse retroversum; et si pro certo habere velimus, ægrâ in idoneo situ positâ, in vaginam digitus index introducendus, et versus os sacrum dirigendus est; et si retroversio adsit, tumorem insolitum offendere possimus, digito impedimentum præbentem. Posteà digitum versus symphisin pubis dirigentes, alterum impedimentum inveniamus, videlicet cervicem et os uteri.

Urina educenda est cathetere, et alvus enemate cienda: si ad hæc confugitum fuerit, aliquando in suum locum, uterus restituetur. His verò nil valentibus, quando in locum suum uterus redigendus est, in genua et cubitos mulier proclinet, capite in pulvinar posito, in vaginam digito inserto, a pube os uteri repellendum est: primò, vis admota lenis sit, et paulatim cautè augenda. Cùm uterus in suam solitam posituram redactus sit, ægra in lecto detineatur, et magna cautela adhibenda est, ne urina in vesica accumulari possit.

*HÆMORRHOIDES.*

*HÆMORRHOIDES.*

Hæ in septimo mense plerumque superveniunt.

Inter causas enumeranda sunt, uterus iliacas et hypogastricas venas comprimens, sanguinis recursum vetans: Alvus per longum temporis spatium astricta: Quæcunque plethoram inducunt, ut victus lautior, et vita sedentaria quà per tempus graviditatis plerumque utuntur: Vel denique, sanguis ad rectum per cathartica drastica et alia hujusmodi, demissus.

Catharticum leniens subindè devoratum, hanc conditionem ingratam submovebit. Si a plethora pendeat, sanguis parcè mittendus est, et ano applicandæ sunt hirudines, et panni in solutione acetitis plumbi immersi, aut unguentum gallarum. Diæta antiphlogistica usurpanda est.

*DOLORES FEMORUM ET CRURUM.*

Hi dolores, ab utero nervos ischiadicos et ligamenta rotunda premente, ortum ducunt.

Mutatio positurae et frictio mitis, levamen adferunt. Crurum tumescentiæ, cathartica et parca venæsectio proficiunt. Pressura lenis membris admota per fascias, aut quæ meliora sunt, per tibialia prætexta, arcta aut laxa, prout opus erit, summo cum fructu utatur. Positura quoque supina usurpanda est.

*VOMITUS, DYSPNOEA ET TUSSIS.*

Hæc mala in extrema graviditate admodum periculosa sunt. Utero, propter suam molem auctam, ventriculum premente, inducitur *vomitus*. *Dyspnœa*, a pressura super diaphragma, quæ pulmonum plenæ actioni obstat; *tussis* ab irritatione originem ducit, a causis suprà citatis, inducta. Tametsi ab aliis causis hæc sæpè aboriantur; nempè, *vomitus* a conditione ventriculi immunda; *tussis* et *dyspnœa* a catarrho.

Ad hæc sublevanda, stomachus cibo non onerandus est, plùs justo. Victus tenuis et facilis concoctu, utendus est; etiam in lecto, corpus in positura erecta quantùm fieri potest,

test, habendum est. Dyspnœa graviter urgente, sanguis è brachio emittendus est.

### *HÆMORRHAGIA UTERINA.*

*Hæmorrhagia*, quæ hoc tempore ab utero scatet, plerumque abortum prænunciat; in hoc alterove stadio graviditatis occurrere potest, sed in provectiore non solùm infans sed etiam pereat mater, si crebrior et copiosior sit fluxus.

*Causæ prædisponentes* sunt, systematis laxitas, et mobilitas uteri ipsius, et ejus vasorum laxitas et debilitas; major impetus et velocitas sanguinis circumacti.

*Causæ excitantes* sunt, injuriæ utero illatæ: Risus, sternutatio et tussis vehemens: In fæcibus reddendis difficultas. Ut summatìm dicam, omnes res, quæ conditionem turbatam systematis producant, hæmorrhagiam sæpiùs inducant.

*Diagnosis.* Ab ipsis menstruis fluxibus, hæc profluvia discernuntur, ex eo quòd majore copiâ sint, quòdque graviore debilitate et dolore stipentur. Menses per tempora ordinata

dinata redeunt, cùm profluvia non temporibus statis sese ostendunt.

*Prognosis*. Quò propiùs ad partum mulier accessit, eò magis metuenda sunt profluvia; quò magis sanguis effunditur, eò plus periculi est; quò minùs jactura est, eò magis vita matris et infantis speranda est. Si vires parùm exhaustæ sint, et si nostris conatibus ad id cohibendum, profluvium cedat, tunc faustum exitum expectemus; sed si mulier languescat, et profluvia prorumpere persistant, tunc prognosis infausta præsagienda est. Sed nequaquam a medico, ægra ut moribunda, dereliquenda est, quoniam óperæ pretium sit observare jacturam sanguinis, quam mulier tolerare potest, et nihilominùs ad sanitatem revocari possit.

Quæ instanter ad profluvium mitigandum magis valeant, usurpanda sunt: Scilicet, frigidæ applicationes ex aqua cum aceto commixta, labiis pudendis et uteri regioni admoveantur, et injectiones ex iisdem per vaginam. Aër quoque frigidus, fenestris apertis, liberè admittendus est. Ægra in lecto ex stragulis

facto,

facto, cum cruribus elevatis, super truncum corporis, decumbere debet; et tinctura opii, dosibus solito liberioribus, ad guttas triginta quâque horâ adhibenda sit, donec profluvia diminui videbit. In hac cardine rerum, et periculo vitam minitante, nullâ morâ utendum est medico.

Si profluvium oriatur a conditione corporis laxâ, hoc remediis jam dictis moderato, posteà adhibenda sunt medicamenta quæ systema roborent; ut cinchona, vel infusum rosarum cum acido sulphurico. Si major impetus et velocitas sanguinis circumacti adsit, sanguinem detrahere et regimen antiphlogisticum usurpare, conveniat. Viribus exhaustis, cinchona et vinum, adhibenda sunt. Si propè adsit partus, hæmorrhagiâ nihilominùs perstante, fœtus educatur.

### *CONVULSIONES.*

Omnium morborum qui a graviditate pendeant, maximè acerbæ sunt convulsiones; nam sæpè, eheu! frustrà sunt omnia a medico tentata ad hunc morbum depellendum. Aliquando

Aliquando concitatio arteriarum, dolores capitis et dorsi, oculorum caligo ; nausea et vomitus, convulsiones præcedunt, sed aliis temporibus sine ullo præsagio occurrunt. Mulieres quæ nunquam anteà gravidæ fuerint, huic morbo magis opportunæ sunt.

*Causæ prædisponentes.* Magna laxitas corporis, et magna mobilitas, et aliquando prædispositio, inter causas proferendæ sunt.

*Causæ excitantes.* Morbi sedes est in cerebro, in ventriculo, aut in utero. Ad caput determinationem plethora inducit. Pathemata animi violenta, et sequentia, eas promovere possunt : Inanitio, a magna jactura sanguinis, ut ab hæmorrhagiâ uterinâ : Stimulus utero per fœtum illatus : Urina retenta, cervice vesicæ super uterum pressâ : et denique, acria in stomachum recepta.

*Diagnosis.* Ab *hysteria* convulsiones discernantur, quippè morbi de quibus agimus, magis diri sunt ; in iis ex ore spumant, et corpus distorquetur. In convulsiones, mulieres robustæ incidere solent, dum hystericis affectionibus,

tionibus, delicatulæ et facilè irritandæ opportunæ sunt.

*Prognosis.* Convulsiones frequentes et per longum tempus durantes, maximè timendæ sunt. Si pulsus sit celer, et mulier orbata sensibus post paroxysmum manet, tunc malum eventum nobis præsagire liceat. Convulsiones a partu pendentes, fœtu expulso, plerumque cessant.

Quæcunque causa excitans sit, eam removere tentemus. Si pulsus sit plenus, durus et frequens, sanguis copiosè mittendus est. Plethora topica, capiti præsens, arteriarum temporalium aut venarum jugularium sectione amoveatur, et hìc, cathartica admodum indicantur. Si ob comam mulier deglutire nequeat, tunc enemata per rectum injiciantur; et eam excitari sinapismis et epispasticis pedibus admotis oportet. Cùm convulsiones a jactura sanguinis ortæ sint, vis vitæ per jускula, per vinum, et per cardiaca, sustinetur: si a viribus exhaustis mulier facultatem degluttiendi amisit, ad eam servandam e faucibus ipsis mortis, enemata, composita ex fluidis nutrientibus

tibus persæpè injicienda sunt. Si causam convulsiones agnoscunt pathemata violenta animi, tunc venæsectio, usus opii liberalis, et alia antispasmodica, ad morbum levandum prosunt. Ad stimulum amovendum a fœtu utero illatum, anodyna maximè conveniunt; ore uteri satis dilatato, fœtus cum magna cautela extrahatur. Acria stomacho et intestinis applicata, catharticis et emeticis amoveantur, sed potiùs priora eligenda sunt, quia a positura corporis, vomendi actione, ad caput determinatio fieri solet. Si vermes in canali intestinali adesse suspicamur, tunc anthelmintica, ut sub-murias hydrargyri, dolichos pruriens, ferri limatura, stannum pulverizatum, et alia hujusmodi, adhibenda sunt.



RETROSPECTIO, QUÆDAM DE PROPHYLAXI COMPLECTENS.

ANTEQUAM huic tentamini inaugurali finem ponam, aliquod dicere volo, de prophylaxi morborum antecedentium, qui graviditati communes sunt. E rebus quas in lucem edere ausus sum, manifestum est, nullum morbum in simplicis conditione naturæ graviditati junctum esse; sed contrariò, iis quæ vivant et consuetudines sequantur, naturæ mandatis minimè jucundas, ad morbum prædispositio inducitur; etiam hæc si non omninò obviatur, saltem alleviatur, curâ et mulieris attentione. Verba nostri SHAKESPEARE immortalis ut loquar, "*Conception is a blessing;*" et mulieribus oportet hæc opinio persuaderi: iis necesse est graviditatem æstimare quasi tempus eorum vitæ maximi momenti, ut ad dignitatem conferat, et eorum pondus in trutinis

humanæ naturæ augeat. Nunc iis fas est cum poëtâ dicere,

"————— Huc natas adjice septem,
"Et todidem juvenes, et mox generosque nurusque,
"Quærite nunc, habeat quam nostra superbia causam *."

Nunc incipit natura permagnum opus, et ad id perficienduum, fœminas imperiosè invocat vitam in tali modo agere, ut in tempore debito suum fructum producant. Admodum verisimile est, hunc eventum optandum effici posse, attentione idoneâ ad excreta et ingesta, et exercitatione moderatâ, quorum priora sunt intestina, vesicaque urinifera. Ut fœminæ magis constipationi et hæmorrhoidibus quàm viri obnoxiæ sunt, patet; sive vitâ sedentariâ vel ab quâvis aliâ causâ oriatur, difficile est dictu; "sublatam ex oculis causam quærimus invidi." Manifestum est, actionem intestinorum eorum tardam esse, et præsertim per tempus gestationis provectius.

Idcirco

* Vid. Ovidii Metamor. lib. vi. vers. 182.

Idcirco maxima cura per graviditatem ad intestinorum evacuationem adhiberi debet, quâ multi morbi ab pressurâ mechanicâ oriuntes, admodum mitigati sint. Ad hoc, sales neutrales, oleum ricini, usus fructuum maturorum liberalis, cum multis aliis, quæ nunc narrare longum foret, et quarum mentionem feci, votis respondebunt. Medicamenta aloëtica, ob eorum effectus stimulantes in quibusdam temperamentis, evitari debent.

## EVACUATIO VESICÆ.

Hujus organi functio strictè observanda est. Jam dixi ut suppressio urinæ, uteri retroversionem sæpissimè inducere possit; idcircò fœminæ, ne urinam retineant nimis diu, moneantur. Mandatis naturæ, et stimulo minimo, obsequi debent; omnis occasio, quæ eas propter pudorem cohibeat, sedulò effugienda est.

EXERCITATIO.

Hæc modica esse oportet, prout gravida eâ uti possit. Exercitationes crebræ et insolitæ valdè intempestivæ sunt, et partum præcocem inducere possunt; dum inertia et vita sedentaria, gestationis processum impediunt, et ad partûs cunctationem conferunt. Exercitationis utilitas debitæ, evidens est a differentia cum qua fœminæ inter plebem stadium graviditatis et partûs processum incolumes patiuntur; in priore, morbis paucioribus obnoxiæ, in posteriore, tempus brevius occupari, videntur *. "Vita enim otiosa est potissima causa "omnium malorum, quæ patiuntur prægnantes, tum etiam difficilis partûs." Omnes medici, de beneficio exercitationis per graviditatem consentiunt, sed discrepant in quo tempore uti oportet. Sunt aliqui qui putant ut in stadio primo mediocris esse debeat, et in progressûs ratione graviditatis, augenda. Tamen

* Vide Hieron. Mercur. de Morbis Mulierum.

men si ad regnum animale domi aspiciamus, aut quantùm nobis notum sit in conditione agresti, aliam sententiam assumere adducemur. Cùm in gestatione animales progrediantur, exercitationem minùs velle apparent, seclusionem quærere, et eorum proclivitatem gregariam relinquere, videntur. Sed multùm pendet è consuetudine vitæ præcedentis, et ex affectibus quos habet exercitatio tentata. Quantumvis strenuè corporis exercitationem inculcare conati sumus, nihilominùs animi tranquillitatem et ingenii serenitatem fortiter laudemus. Prægnans, quantùm fieri potest, pathemata animi moderare, et præsertim iram evitare, debet. Irritabilitate auctâ per graviditatem, incrementum sensilitatis necesse oriatur, propter quod, sensus acutiores et animus impressionibus magis vivax fiunt. In eo paroxysmo qui *ira* nuncupatur, cordis actio et arteriarum magnoperè citata est, et ad vasa cerebri violenter propulsus est sanguis, quod sæpè effectus pessimos producit, veluti epilepsiam, apoplexiam, cum aliis: Nonne ex hâc

causâ

causâ oriri possint convulsiones puerperæ? Symptomata quæ ferè eas antecedunt, et ea quæ post mortem sese ostendunt, mihi hanc opinionem stabilire videntur. Si nobis occasio detur, sanitatis conditionem, ante aggressionem convulsionum discendi; plerumque invenietur, ut de cephalalgia violenta, cum vertigine et oculorum caligine questa fuerit mulier; et in multis exemplis, conditionem vasorum plethoricam cranii, epistaxis notavit. Prætereà, ea symptomata quæ sese post mortem ostendunt, nos docent, causam proximam convulsionum puerperarum, insolitam esse sanguinis determinationem caput versus. In omnibus ferè exemplis cadaverum sectionum, vasa cranii turgida inveniebantur, et in multis extravasatio reverà accidebat. Consensus qui uterum inter et cerebrum existit, prædispositionem convulsionibus fortassè præbet; sed causa proxima, in cranio congestio sit.

Timeo, ne jam limites dissertationis inauguralis transiverim; sed priusquam ei finem posuero,

posuero, mihi in animo est animadvertere, ad id quod ferè sine discrimine secutum est, nempè *SANGUINIS MISSIONEM*.

Mulieres non solæ, sed etiam medici sint, qui opinionem firmè tenent, in graviditate, venæsectionem *sine qua non* esse, ex eo confirmatam, quòd cum utero gravido, conditio systematis plethorica semper connectatur: hanc opinionem futilem esse credimus. Quantitas sanguinis in systemate semper eadem est per tempus in utero gestandi, sed cursus diversus sit. Propter graviditatem, determinatio sanguinis inusitata evenit ; idcircò multa viscera magni momenti, per hoc tempus, minorem quantitatem sanguinis, quàm in aliis temporibus accipiunt. Hinc symptomatum pulmones afficientium cessatio pro tempore, et in quibusdam conditionibus systematis morbidis, proclivitas fortis ad processum salutiferum apparet. Hàc determinatione sanguinis ad uterum manente, (si mihi liceat dicere), consensus est inter fluida et solida. Vasa sese contentis suis accommodant : hinc nulla plethora morbida prævalet. Sed si morbus uteri ipsius,

aut

aut ulla structura vasorum organica impediant, quo minùs distendi ea possint, irritatio uterina sequetur, gestationis processus turbabitur, et partus præmaturus accidet. Nunc sanguinis missio cum effectibus optimis stipetur. Et etiam quandocunque cum graviditate diathesis phlogistica notata est, dyspnœâ, tusse, dolore lateris sub inspiratione aucto, venæsectio non solùm utilis, sed prorsùs necessaria erit; sed ut gravidæ venæsectio semper adhibeatur, opinio est tam inutilis quàm inepta, et ea non nimis damnari potest.

---

Hæc sunt, quæ de Graviditate, in medium proferre ausus sum; et hoc opere, non ut velim, sed ut potui absoluto, nihil magis dicendum restat, nisi ut, Almæ hujus Academiæ Professoribus doctissimis, ob maximam, quà me complexi sunt urbanitatem, gratias imo ex corde, habeam. Et in primis, Andreæ Dun-

CAN, Medicinæ Theoreticæ Professori egregio: Quantùm illi debeam, ut præceptori doctissimo, studiorum fautori, amico certissimo, meo ex animo nunquam effugiet.

Dies ille felicissimus mihi sit habendus, in quo Almam Academiam Edinensem visere licitum est, et ad hos integros accedere fontes de veramque scientiam haurire.

Procul absit, ut silentio prætercam Societatem Regiam Medicam; in qua aliorum sententias perscrutari, excutere, imo delere, et nullius jurare in verba magistri, primùm didici; et in cujus disputationibus, utile cum dulci suaviter conjungitur, et labor ipse, voluptas fit.

Denique non mihi congratulari non possum, quòd in iisdem mœniis sacris, in quibus olim Pater, mihi carissimus, arte medicâ sit imbutus, quam nunc sibi laude, et aliis salute, apud LONDINENSES exercet; ipse quoque ad summos medicinæ honores sim evectus.

Omnia hæc, et præsertim tempus apud Scotos, eheu jucundissimè actum, meminisse semper juvabit, dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.